



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VENETIOLA*** IN VENETIOLA ORDINARIATUS MILITARIS CONDITUR «In Ecclesia omnes, sive ad Hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur (*Lumen gentium*, 39). Nos quidem ad maiorem in dies sanctitatem totius Dominici gregis promovendam vocati, haec Concilii Oecumenici Vaticani II verba recolentes, studiose curamus ut pastoralis caritatis munus erga omnes christifideles secundum Christi mentem exerceatur. Nunc vero de militibus Venetiolanis singulari modo cogitamus atque de iis pastoralementem secundum nostrae aetatis necessitates ordinare volumus. Quapropter, eorum suppleto quorum interest consensu, Apostolica Nostra potestate hasce per Litteras *Ordinarium Militarem in Venetiola* constituimus, servatis quidem normis generalibus Constitutionis Apostolicae « *Spirituali militum curae* », propriis statutis ab Apostolica Sede editis nec non legibus ecclesiasticis universalibus. Iura sane ei ac privilegia ceterorum ordinariatum militarium propria tribuimus. Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Oriano Quilici, Archiepiscopo titulo Tablensi et in Venetiola Apostolico Nuntio, necessarias et opportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tricesimo primo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

| | |
|---|--|
| ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i> | BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i> |
|---|--|

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 6, p. 529-530 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana